



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

VI. Si filius sacerdotis ad sacros ordines fuerit promotus, potest ecclesiastici beneficii obtinere portionem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

CAP. VI. *Idem B.*

Proposuit nobis presentium lator R. quod cum ipse ad ecclesiam de Salesbi a domino fundi fuisset presentatus, tu causam animarum noluisti sibi committere, vel huic rei assensum tuum prestare, pro eo quod erat filius sacerdotis. Super quo itaque discretionem tuam, sicut dignum est, in Domino commendamus, & providentiam tuam gratam gerimus, accommodam & acceptam. Ceterum quia necessitatibus eius & laboribus, quos ad nos veniendo sustinuit, in tanta mentis affectione compatimur: indignum est autem, ut postquam ipse in subdiaconatum est ordinatus, omni debeat ecclesiastici beneficii susceptione carere: discretionem tuam per A. S. monemus, ut aliquem honestum presbyterum cum assensu eiusdem presbyteri infra 46. dies post harum literarum susceptionem, contradictione & appellatione cessante, inuenire studeas, qui eidem ecclesie deseruiat, ita quidem, quod prefatus R. medietatem omnium beneficiorum prescriptae ecclesie in suo ordine seruiendo diuino intuitu, quoad vixerit, nostra & tua auctoritate pacifice debeat obtinere. Non enim solus presbyter Missarum solennia vel alia officia potest sine ministri suffragio celebrare.

## CAP. VII.

*Idem Sarensi & Exoniensi episcopis.*

Suggestum est nobis, quod cum I. dicatur filius sacerdotis, &c. *Et infra:* Quia manifestum est & publicum, patrem praedicti I. personatum praedictae ecclesie gessisse: ipsum ab eadem ecclesia, si eam adeptus est, excludatis, nec ad eius gubernationem ulterius assumatur. Nolumus tamen ut propterea id in iudicium deducatur, vel testes super hoc producantur, dummodo factum ipsum manifestum sit.

## CAP. VIII.

*Idem Cantuariensi archiepiscopo, & Vigorniensis episcopo.*

Ex transmissa nobis conuestione VV. clerici accepimus, quod ad dilecti fratris nostri abbatis de Castin praesentationem, in quoddam beneficium ecclesie de Vinton, sibi canonice concessum, recipere distulisti in praesenti, eo